
J. G. Bajer.
(J. v. Sallern.)

De
formatione Christi in nobis
ad Galat. IV. v. 19.


Jenæ. 1694.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-294 4° 1522




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-294 4° 1522

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-294 4° 1522



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-294 4° 1522



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-294 4° 1522



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-294 4° 1522

1.-294-4

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°
1 1 01 0 4 01522 3

+REX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-294 4° 1522

1724

DISPUTATIO THEOLOGICA
De
FORMATIONE CHRISTI IN NOBIS,
ad
Galat. IV. verſ. 19.

D. O. M. A.

SUB PRÆSIDIO

DN. JOHANNIS GVILIELMI BAJERI,

SS. Theol. D. & Prof. Publ.

Domini Patroni ac Præceptoris ſui nullo non obſervantiæ cultu devenerandi,

publico examini ſubjecta

ab

SEBASTIANO VON SALLERN,

APENRADA-HOLSATO.

Ad d. IX. Maji.

A. C. cIↃ IↃc XCIV.

JENÆ,

TYPIS GOLLNERIANIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-294 4° 1522

PERILLUSTRI GENEROSO ATQUE EXCELLENTISSIMO

DOMINO

DN. FRIDERICO De GUNTEROTH

REVERENDISSIMI & SERENISSIMI

DUCIS CIMBRORUM REGENTIS

PRÆFECTO APENRADENSI ET LUGO-MONASTERIENSI

GRAVISSIMO

ſimul

Cohortis ejusdem Præſidiariæ

DUCTORI PRÆSTRENUO

ſupremoque Ducalis Venationis

MAGISTRO,

Domino ſuo gratioſo.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-294 4° 1522

Nec non

SUMME REVERENDO, MAGNIFICO, NOBILISSIMO

AMPLISSIMOQUE DOMINO,

DNO. CASPARI HERMANNO SANDHAGEN.

THEOLOGO CONSUMMATISSIMO AC DE ECCLESIA CHRISTI LONGE MERITISSIMO

SERENISSIMO DUCI REGENTI SCHLESVICI ET HOLSATIÆ A CONFESSIONIBUS SACRIS, ET CONCIONIBUS AULICIS PRIMARIIS, PROVINCIARUM ITEM SCHLESVICI ET HOLSATIÆ SUPERINTENDENTI GENERALI PRAEPOSITOQUE HOLSATIAE EMINENTISSIMO,

Mæcenati ſuo ſummo.

UT ET

MAXIME REVERENDO, AMPLISSIMO ET EXCELLENTISSIMO

DOMINO

DNO. M. TROGILLO ARNKIEL

PASTORI PRIMARIO APENRADANO, VICINARUMQUE ECCLESIARUM PRAEPOSITO LONGE MERITISSIMO FAUTORI SUO MAXIMO

Proſperrima quæque ac felicia apprecatus,

tenues has ſtudiorum primitias non ingenii ſed animi teſtandi cauſa conſecrare voluit, debuit

AUCTOR.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-294 4° 1522

Perquam Eximio & Humaniſſimo

DOMINO
SEBASTIANO Von SALLERN,

Diſputationis præſentis Auctori, Amico ſuo
& Fautori multùm honorando,

S.P.D. PRÆSES.

CUm ingenium hactenùs doctrinâ ſacra & ſeculari formâſſes, mores etiam non tantùm ad honeſtatem, ſed pietatem; ſcriptô quodam, quid in ſacro ſtudio poſſis, declaraturus, congruum ſanè argumentum ſelegiſti, Formationem Chriſti in nobis. *Hoc enim omninò omnium primum eſt, quod nos, Deo ipsô judice, formoſos facit. Cætera longiſſimô intervallô ſubſidunt. Iſtius autem negotii tractatione cùm doctè pium, tùm piè doctum, videre licet. Neque enim vel opus eſt, vel excuſabile, ſi neglectis aut conculcatis, quæ ad παιδείαν Academicam, & partim ad Exegeſin Scripturæ, regulis Hermeneuticis innitentem, partim ad rei ſubſtratæ indolem analyticè conſiderandam pertinent, ipſoque verbo Scripturæ & meditatione ejus ſepoſitis, formatum iri in nobis Chriſtum putemus, modò in ſilenum quoddam & ceſſationem omnium cogitationum concedamus, ſubſtantialem formam novam, quæ ſit Chriſtus in nobis, recepturi, ipſo ſe immediatè nobis inſinuante, ac ſenſum ſui largiente. Relinquamus ea hominibus otioſis, Enthuſiaſmum affectantibus, ac perſeveremus in his, quæ veris Myſteriis cognoſcendis, ac nihilominus ſpirituali ſenſu & experientiâ percipiendis, ſerviunt. Sic etiam Tibi, Amice perdilecte, de cultura Theologiæ ſecundum παιδείαν lubens meritoq́ue gratulor, & ut Eccleſiæ Dei poſthac, ex divina vocatione & gratia, fructum egregium præſtes, tota animi mente precor. Vale. Scrib. ipſis Calendis Maji* A.C. CIↃ IↃCXCIV.

JOVA JUVA.

Præloquium.

E*ccujus hæc eſt imago?* Quæſtionem hanc Μεσίτης θεȣ͂ καὶ ἀνθρώπων apud Matthæum, cap. XXII. Judæis, qui eſſent, ignaris, proponit, ut, qui eſſent, eos doceret. Nempe quòd ſervi Jmperatoris Romani forent, quoniam imaginem ejus in numo expreſſam circumferrent. Ego occaſionem inde arripio dolendi vicem pſeudo-Chriſtianorum, haud ſciſcitantium, qui olim fuerint; neſcientium, qui jam nunc ſint; an ἐλεύθεροι τῆς δικαιοσύνης, an verò δȣ͂λοι τῆς ἁμαρτίας. Hos alloquor verbis Chriſti, eccujus, ajens, eſt imago, quam in anima veſtra expreſſam circumfertis? in anima, inquam, veſtra, non auro, non argento redemta, ſed ſanctiſſimo & pretioſiſſimo ſanguine Domini veſtri Jeſu Chriſti. Olim equidem imaginem τȣ͂ θεȣ͂ ζῶντος circumgeſtabamus, & tum, ſi quis de nobis quæſiviſſet; eccujus hæc eſt imago? in promptu reſponſio fuiſſet, צלם ודמות יהוה, eſt imago DEO ſimillima. Mox verò Diaboli invidiâ labente Adamo, in imaginis divinæ pulcherrimæ locum fœdisſima peccati imago ſuccesſit. Ubi ſi interrogaſſes, eccujus eſt hæc imago? reponi oportuiſſet: τȣ͂ πνεύματος ἀκαθάρτȣ. Quam nunquam exu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-294 4° 1522

ere datum eſſet, ſi Deus unigenito filio ſuo pepercifſet, nec eum ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων dediſſet. Ex quo autem hoc ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως τοῦ θεοῦ πατρὸς, *ſplendor gloriæ & expreſſa imago DEI Patris*, apparuit, exutâ magis magisque in dies ſingulos imagine Diaboli, ad imaginem DEI renovari poſſumus, ut, ſicut portavimus imaginem Adami, qui de terra eſt, jamque imaginem τοῦ πονηροῦ induerat; ita loco ipſius ſuſcipere queamus imaginem Adami alterius, qui de cœlis eſt. Et utinam omnes etiam ſuſciperent! Quod vero id parum fieri videas, ratio non una ſubeſt. In potiſſimis tamen recte fortasſis habetur, quòd rariſſimè quæri audias; eccujus eſt imago, quam circumgeſto? Deine, an Diaboli? Chriſtine, an mundi? Nec non, quòd forma vitæ Chriſti, quo in conſiſtat, fermè ignoratur. Id quod nos movit, ut de forma hac juxta dictum Paulinum ad Gal. IV. pauca diſſerere piè ſtatuerimus. Deus adſit cœptis! Amen.

Textus authenticus Græcus

Τεκνία μου, οὓς πάλιν ὠδίνω, ἄχρις οὗ μορφωθῇ χριστὸς ἐν ὑμῖν.

Verſio Tremellii & Junii, quæ etiam eſt Bezæ:

Filioli mei, quos iterum parturio, usque quò formetur Chriſtus in vobis.

Verſio Eraſmi Roterodami, retinens verba Vulgatæ.

Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.

Verſio Gallicana.

Mes petits enfants, pour lesquels enfenter je travaille

ille derechef, jusques à tems, que Chriſt ſoit formé en vous.

Verſio Megalandri:

Meine liebe Kinder / die ich abermahl mit Aengſten gebäre / biß daß Chriſtus in Euch eine Geſtalt gewinne.

§. I.

Ut ſenſum verborum Paulinorum aſſequamur, ſcopum, cùm totius epiſtolæ ad Galatas perſcriptæ, tùm in ſpècie capitis noſtri IV. ſcrutabimur. Notandum igitur, quòd Paulus, priusquam in Macedoniam proficiſceretur, διελθὼν τὴν Γαλατικὴν χώραν, *peragrans regionem Galatiæ*, Eccleſiam in ea plantarit, plantatamque διερχόμενος, καθεξῆς τὴν χώραν ταύτην, *perambulando ex ordine totam hanc regionem*, in fide mox confirmarit: juxta *Actor*. XVI. 6. & cap. XVIII. 23.

§. II. At ecce Apoſtolus vix tergum vertit, cùm οἱ παρείσακτοι ψευδάδελφοι, *obiter ingreſſi falſi fratres* in ea dant tumultus. Qui fuerint, non ſatis conſtat. Grotius non Judæos, *ſed alienigenas*, qui in Judæa vixerint, & *Cerinthum* principem ſecuti ſint, fuiſſe, ex vehementia ſtyli colligit. Sed hæ conjecturæ tantùm ſunt. Quicunque denique illi fuerint, ſubintroierant *ad explorandam libertatem* eccleſiarum Galaticarum, eisdemque perſuadere conati erant, Paulum Doctorem ipſarum, reliquorum Apoſtolorum diſcipulum longeque hinc eis inferiorem eſſe; hos verò legem ceremonialem, inprimis circumciſionem, nolle abrogatam, adeòque uſum ejus apud ipſas quoque introducendum eſſe, ſi quidem ſalvari vellent. vide & cum tota συναφεία hujus epiſtolæ confer comma 7. cap. I.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-294 4° 1522

§. III. Nec irritus planè, impius licet, hic conatus ipſorum fuit Quin penes plurima Eccleſiæ Galaticæ membra & auctoritas Pauli minor habebatur, & Judaicæ ceremoniæ obſervabantur. *Dies obſervabant & menſes & tempora & annos*, juxta cap. IV. 10. *à gratia Evangelii in aliud* Evangelium *citò translati*, ut verbis ipſius Apoſtoli utar cap. I. v. 6. Tantum faſcinatio ψευδαδέλφων in Galatis poterat!

§. IV. Id quod Pauli animum affectu non uno concutiebat. Primùm namque *admiratio* ipſum capiebat, quod Galatæ *citò adeò à gratia Evangelii in aliud Evangelium transferrentur*. Confer cit. v. 6. & 7. cap. I. Et mira utique hæc erat ἐνέργεια τῆς πλάνης, quòd Galatæ, ſpretâ Evangelii gratiâ, excuſsôque τῶ ζυγῶ τοῦ χριστοῦ χρηστῷ καὶ φορτίῳ αὐτοῦ ἐλαφρῷ, *jugo Chriſti commodo & onere ipſius levi*, ita promptè colla jugo legis ſubmitterent; quod tamen nec ipſi Judæi eorumque Patres portare potuerant. Deinde *ira* æſtuabat: id quod cum epiſtolæ totius ſtylo, crebrioribus interrogationibus, correctionibus, expolitionibus, præcipuè compellatio Galatarum evincit, quâ ipſos ἀνοήτους Γαλάτας, *ſtultos Galatas* appellitat. cap. III. v. 1. Denique animo ipſius incedebat *metui* juncta *triſtitia*, cujus teſtis luculentus profectò ſunt verba cap. IV. 2. φοβοῦμαι ὑμᾶς, μήπως εἰκῆ κεκοπίακα εἰς ὑμᾶς, *metuo de vobis, ne fruſtra laborem in vobis omnem inſumſerim*.

§. V. Paria ergò Paulus experiebatur cum Parente, cui natus vocem ſeductoris præfert, ſpreto ipſius amore, labore, ſollicitudine. Admiratio ipſum diſtrahit, ira effervefcit, mœrore contabeſcit. Atque tribus his affectibus commotus calamum arripit, ten-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-294 4° 1522

taturus, an Galatas in ordinem redigere poſſit. Unde totius ad ipſos perſcriptæ epiſtolæ *ſcopus* ipſi hic fit: θεοπνευςίαν & auctoritatem ſuam adverſus ſeductores graviter tueri, errorem, quô ſervandæ legis ceremonialis neceſſitas intempeſtivè aſſerebatur, ſolidè confutare, Galatasque cohortari, ut ſub ſuave Evangelii jugum denuò mitti ſe paterentur.

§. VI. Scopus hic indicatur cap. I. v. 6. 7. 8. & 9. Quô ut potiatur, verſu 10. cit. cap. usque ad finem cap. II. ea adfert, quæ ad probandam ſuam θεοπνευςίαν & auctoritatem faciebant. Tertiô, quartô, quintôque cap. usque ad VI. v. 12. argumenta pro legis ceremonialis abrogatione pugnantia producit, Galatasque ab ejus obſervantia abſtrahere, interſpergendo frequentia ἤθη & πάθη conatur. Tandem ne juſtô liberioris diſciplinæ eccleſiaſticæ auctor haberi poſſet, à cap. V. v. 13. usque ad finem, moralia præcepta annectit.

§. VII. Ergò, quod interpretari habemus comma, ad *ſecundam partem* ſpectat, ſeu cohortationem Galatarum, ut jugum legis cervicibus ſuis imponi haud quaqvam paterentur, inque libertate per Chriſtum parta doctrinaque Evangelii à ſe prædicata firmi perſtarent.

§. IIX. Utitur autem Paulus comparatione *regenerationis* ſpiritualis cum *generatione naturali*. Unde, ut ſenſum ipſius pleniùs aſſequamur, ſemper hanc reſpiciemus, eaque fini in regeneratione Galatarum notabimus (I.) *Parentem* ejusque ſemen, à quo regeneratio pendet: (II.) *Matrem* ejusque uterum, in quo regeneratio contingit: (III.) *Materiam*, in quâ fit conceptio, unà cum privatione formam præcedente: (IV.) *Formam* in ipſam introducendam. Denique (V.) introductionem formæ ſeu *Formationem* ipſam.

IX.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-294 4° 1522

§. IX. Qui ergò in generatione myſtica ſeu regeneratione *Parentis* vicem ſuſtinet, DEUS eſt. Hic enim, juxta Cap. III. 15. non modo eſt ἐξ οὗ πᾶσα πατριὰ ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς ὀνομάζεται, *ex quo, tanquam à communi patre omnis cognatio in cœlis & in terris cognominatur*, ut vertit *Eraſmus*: vel juxta translationem Megalandri, **der rechte Vater über alles/ das Kinder heiſſet/ im Himmel und auff Erden**: ſed etiam πατὴρ τῶν φώτων, ἀφ' οὗ πᾶσα δόσις ἀγαθὴ καὶ πᾶν δώρημα τέλειον καταβαίνει, ὃς καὶ βουληθεὶς ἀποκύει ἡμᾶς, *pater luminum, à quo omnis donatio bona, omneq; donum perfectum deſcendit, qui & deſtinata voluntate nos progenerat*, ſecundùm *Jacobum* Cap. I. v. 17. 16. Pater eſt *admiratione dignisſimus*. Parentes alii generant filios ex mortali ſemine, ipſe ex ſemine immortali; de quo inferiùs. Alii generant ex materiâ habili ac diſpoſita; ipſe nihil habili & diſpoſitum invenit. Alii faciunt, ut quod nondum vivit, vivat: ipſe, ut vivat, quod prorſus erat mortuum. Alii faciunt, ut quod non erat filius, jam fiat & ſit filius: ipſe non tantùm facit, ut ex non-filiis filii DEI, ſed etiam ut ex filiis Diaboli filii DEI viventis audiamus. Equidem phyſicam generationem parens inchoat; continuatio tamen, abſente etiam ipsô vel omninò mortuô non ceſſat. Sine DEO autem generatio ſpiritualis nec inchoari, nec continuari poteſt. Homines γλυκύπικρον parentum nomen anhelant, ut cùm ſibi nequeant, nomini tamen ſuo de immortalitate proſpiciant. Unde & Philoſophi generationem definiunt per ἔργον θεῖον καὶ ἀθάνατον ἐν θνητῷ ζώῳ, *opus divinum & immortale in animali mortali*. Aſt cur DEUS nos regenerat? Non sanè ut

ipſe

ipſe immortalitatem conſequatur: eſt enim ὁ ἔχων τὴν ζωὴν ἐν ἑαυτῷ καὶ μόνος ἄφθαρτος, *vitam habens in ſe ipſo, unusq́ue, qui incorruptibilis exiſtit.* Quin potiùs, ut nos, etſi moriamur, haud tamen unquam verè moriamur, verbo veritatis ſuæ nos regenerat. En! ergò eum Patrem quoque optimum & benigniſſimum, Meminit ipſius hôc loco Apoſtolus, quando ſe (ut id pluribus infra docebitur) Galatarum *matrem* tantúm, non Patrem, haud obſcurè appellitat, ſubinnuens, DEUM parentis locum in ſpirituali eorum generatione tenere. Equidem Paulum *patrem Corinthiorum* I. Ep. c. IV. 15. ſe dixiſſe, aliquibus videtur, cùm ita ad eos ſcribit: ἐὰν μυρίους παιδαγωγοὺς ἔχητε ἐν Χριστῷ, ἀλλ' οὐ πολλοὺς πατέρας, ἐν γὰρ Χριστῷ Ἰησοῦ διὰ τοῦ εὐαγγελίου ἐγὼ ὑμᾶς ἐγέννησα, *etiamſi innumeros habeatis pædagogos in Chriſto, non multos tamen habetis patres: ſiquidem in Chriſto Jeſu per Evangelium ego vos genui.* At enim ſi contextui lociſq́ue parallelis propiùs attendimus, ſtare fortasſis poſſet ea ſententia, quæ per unum Patrem Corinthiorum ipſum Jeſum Chriſtum intelligi; Paulumq́ue hîc etiam tantùm matri aſſimilari ſtatuit, ut ſenſus ſit: ego inſtar matris, in Jeſu Chriſto, tanquam parente, per Evangelium, tanquam per ſemen ſpirituale, vos genui. Et ne credas, de matre non uſurpari phraſin activam γεννᾶν υἱὸν, generare filium, ſed paſſivam tantùm, ἐξ αὐτῆς γεννηθῆναι generari ex ipſa, en! tibi locum Luc. I. v. 57. extantem, ubi de Eliſabetha legitur, quòd ἐγέννησε υἱὸν filium *genuerit*.

§. X. Tantò magis hoc loco Parens in generatione ſpirituali nobis audit *ſolus DEUS*. Deus autem triunus,

unus, ſeu omnes divinitatis perſonæ. Eſt enim opus potentiæ, bonitatis & ſapientiæ divinæ, quæ ſicut omnibus perſonis divinis ex æquo competit, ita ipſam etiam toti SS. Trinitati adſcribi oportet. Unde & in Scripturis modò *Patri* adſcribitur, ut I. *Petri* I. 3. modò *Filio* Matth. XIX. v. 28. *Ebr.* II, 10. 13. modò *Spiritui Sancto*, prout *Johan.* III. ubi regenerari ἐκ Πνεύματος, *ex Spiritu*, dicimur.

§. XI. Miram profectò rem narro. Pater ſcilicet Domini noſtri Jeſu Chriſti eſt parens ſponſæ filii ſui unigeniti. Filius DEI eſt parens ſponſæ & ſororis ſuæ. Spiritus S. eſt parens animæ fidelis, cujus advocatus aliàs dicitur & παράκλητος. Nec minùs tamen ſingulare eſt *ſemen* parentis hujus, ex quo regeniti naſcuntur, nempe λόγος τῆς ἀληθείας, *ſermo veritatis*, *Jacob.* I. 18. Naſcimur ſecundùm naturam ἐκ σαρκὸς καὶ αἵματος, ex *carne & ſanguine* Parentum: renaſcimur autem *non ex carne & ſanguine per voluntatem viri; ſed ex DEO per verbum, quod eſt* δύναμις τοῦ Θεοῦ εἰς σωτηρίαν παντὶ τῷ πιστεύοντι *potentia DEI ad ſalutem omni credenti. Rom.* I. Scilicet, qui in prima creatione naſci fecit omnia per verbum potentiæ ſuæ, is renaſci etiam facit, quotquot renaſcuntur, per ἔμφυτον λόγον, τὸν δυνάμενον σῶσαι τὰς ψυχάς. In ſemine humano corruptibili vermiculos notaſſe volunt Phyſici & Medici, Et quid mirum? Cùm enim totus, qui inde prodit, homo, vermis prætereaque nihil ſit, cur miremur, ſi qui & ipſum, principium ſc. hominis, vermibus eſſe plenum putent? Aſt immortale DEI ſemen eſt puriſſimum & ſanctiſſimum ſemen; quia non vetus homo, ſed nova creatura inde generatur. Seminis non una, ſeu ſimplex,

ſed

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-294 4° 1522

ſed multiplex & varia materia exiſtit. Sic & ſeminis quod generat fideles nempe *Evangelii* variæ ſunt partes, quas articulos fidei vulgò vocamus. Sed quia regeneratio & converſio coincidere vulgò putantur; ad converſionem autem Lex pariter atque Evangelium requiritur; jam videndum eſt, an ad regenerationem, etiam lex concurrat. Sanè Lex non accendit fidem, imò ne primos quidem fidei motus; ideoque hôc ſenſu dici non poteſt, quòd Deus per Legem inchoet regenerationem. Attamen, quemadmodum in generatione naturali alterationes materiæ, aliàs inhabilis ad recipiendam formam, prærequiruntur; ſic in ſpirituali regenerationis opere, ad fidem, quæ velut forma eſt filiorum DEI, introducendam, contritio prærequiritur, quâ mens hominis ita immutetur, ut ſubjiciatur Spiritui, fidem in ipſa per Evangelium producturo. Contritio autem oritur ex Lege. Equidem ſi homines peccatores ſibi relicti, ipſi in agnitionem ac deteſtationem peccatorum ſeriam & peccatis ſuis reſpondentem tenderent; poſſet fortaſſe in illis hucusque perductis Evangelium abſque peculiari opera Legis, per revelationem proponendæ, generari fides. Sed vis ipſa corruptionis noſtræ per peccatum tanta eſt, ut peccata nec omnia, neque ita, uti par erat, agnoſcamus ac deteſtemur, imò ne agnoſcere ac deteſtari ſatis poſſimus. Itaque cùm fides non niſi in anxiis contritisque cordibus naſcatur, Lege opus eſt; & ſic lex ipſa παρεισῆλθε, *ſubingreſſa eſt Rom.* V, 20. προσετέθη *adjecta eſt* Evangelio *Galat.* III. 19. imò ſupra 430. annos hominibus lapſis ab ipſo Chriſto tan-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-294 4° 1522

quàm *pædagogus* V. T. *ad Chriſtum*, *Gal.* III. 22. 24. data eſt cum evangelico prœmio hoc : אני יהוה אלהיך *Ego Jehova DEUS tuus.* Confer *Luth.* tom. VI. Altenb. p. 723. Data eſt per Moſen, poſt προευαγγέλιον Abrahamo annunciatum, *Galat.* III. 17. & tantò longiùs poſt πρωτευαγγέλιον, ab ipſo filio DEI ad veram & ſalutarem pœnitentiam protoplaſtis in paradiſo promulgatum, *Gen.* III. 15. Adde quòd Joannes, Chriſti præcurſor, prædicârit *baptiſmum* (evangelii ſigillum) *pœnitentiæ, in pœnitentiam & remiſſionem peccatorum. Matth.* III. 11. *Marci* I. 4. nec non, quod ipſe Chriſtus contra Phariſæos, legem intempeſtiviùs urgentes, diſputans, ait, *omnem ſcribam ad regnum cœlorum doctum, Novum ac Vetus*, ſive Evangelium & Legem, *proponere*, *Matth.* XIII. 52. nempe ut indicetur, legem evangelio & hoc illi neceſſariò jungendum eſſe, ita, ut quæ inter ſe diſtincta ſunt ac diverſiſſima, in praxi tamen debeant eſſe conjunctiſſima : quemadmodum & aliàs Legem Evangelio colluſtrari debere, docuerunt Noſtri. Vid. *form. concord.* Art. V. ejusque ſolida Declar. & ex noſtris præcipuè B. *Gerhardus* in Diſputatione A. 1609. §. 99. habita, it. in LL. Theol. de Evangelio §. III. & in Harmon. Evangel. p. m. 1513. *B. Chriſtianus Chemnitius* in Diſputat. ſuper form. concord. de Lege & Evangelio §. II. B. *Gœbelius* in Diſputatione inaugurali de pactis DEI cum hominibus, habita ſub B. Muſæo §. 26. & Dom. D. Præſes in peculiari diſſertatione de Lege Evangelica.

§. XII. Hic igitur parens, hoc ſemen, in generatione filiorum DEI obtinet. Unde & ἄνωθεν è *ſupernis* generari dicuntur. *Johannis* III. v. 3. Nempe

pe Parens, DEUS, ſupernè in Cœlis habitat: ſemen verbi cœlo quaſi decidit. Non poſſunt ergò non ex hoc ſemine geniti, ab hoc parente prognati, è ſupernis nati eſſe; cum contrà in phyſica generatione diverſum prorſus obtineat.

§. XIII. Cùm Nicodemus myſticam hanc generationem audiret, protinus in hæc verba erumpebat: πῶς δύναται ἄνθρωπος γεννηθῆναι γέρων ὤν; Μὴ δύναται εἰς τὴν κοιλίαν τῆς μητρὸς αὐτοῦ δεύτερον εἰσελθεῖν καὶ γεννηθῆναι, *quomodo poteſt homo ſenex naſci? Num poteſt in uterum matris ſuæ iterum introire & naſci?* Scilicet rectè equidem generatio uteri materni ipſum meminiſſe faciebat; in eo autem fallebatur, quòd matrem & uterum in regeneratione cum matre &, utero generationis eadem putabat. Aliam Galatarum regenitorum, partim adhuc regenerandorum, matrem, alium uterum, Apoſtolus proloquitur, cum ait, ſe eos ὠδίνειν. τεκνία μου, ait οὓς πάλιν ὠδίνω. Interpretes ferme omnes, *Tremellius & Junius*, *Beza*, *Eraſmus*, *Lutherus* & Anonymus Gallus, verbum ὠδίνειν vertunt per *parturire*. Sciendum autem, quod ipſum non unius ſit ſignificationis. Equidem frequentiùs idem eſt atque parturire; nonnunquam tamen etiam conceptionem fœtûs & geſtationem in utero deſignat, ut hujus ejusdem cap. IV. ad Galat. v. 27. Confer verſionem LXXII. Interpp. ad Jes. LIV. 1. Nec reticendum, quòd valde emphaticum exiſtat. Etenim uſurpatur de anxietate urbis obſeſſæ hominumque ſub extremi judicii diem, *Marci* III. 8. de anxietate moribundorum *Act.* II. 24. & paventium, I. *Theſſ.* V. 3. Hic loci conceptionem & geſtationem fœtûs, difficultatis &

anxietatis pleniſſimam, non partum ipſum præciſè, deſignat: quoniam formatio fœtûs demum ſubſequitur, vel cum ipſa conjungitur, id quod dici de partu nequit. Paulus igitur & cum Paulo quiſque Doctor fidus eccleſiæ, & ſuô modô ipſa eccleſia eſt mater filiorum DEI. Fœmellæ à matribus prognatæ ipſæ quoque, ſuo tempore, naturæ congruo, concipiunt & partum edunt. In eccleſia autem myſtico in ſenſu perfrequenter hoc contingit. Soboles ejus, eaque citiùs, quàm humana ſecundùm naturam, à nativitate ſua ſpirituali uterum gerere amat, & mater aliorum fidelium evadit. Eadem, præcipue ubi Doctoris officio defungitur, dictum ſibi putat iſtud: *ubi converſus fueris convertito fratres, tuos*, qud perinde eſt, ac ſi dictum eſſe: cùm ex Deo natus fueris, naſci ex te alios facito. Hujus ſane præcepti Paulus obſervantiſſimus erat. Vix Ananias ipſum DEO pepererat, cùm plurimorum liberorum, fidelium inquam, mater fœcundiſſima evaderet. Εὐθέως, inquit *Lucas*, *Act.* IX. v. 20. ἐν ταῖς συναγωγαῖς ἐκήρυσσε τὸν χριστὸν, ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, *continuò* (ex quo ſcilicet converſus erat) *prædicabat Chriſtum in ſcholis* &c. Matres eosdem fœtus ſæpiùs haud geſtant: abortivi uterum ipſarum ſecundâ vice haud ingrediuntur. Eccleſia myſtica, Mater fidelium, abortivos etiam non negligit. Paulus ſane noſter ſe Galatas πάλιν ὠδίνειν, *ſecundâ vice parturire* ait; etſi *abortivum partum* alibi ipſe ſe appellitet. Geſtatio fœtûs opus eſt moleſtiæ tædiique pleniſſimum. Quod ſi tædia, quæ Paulus, tanquam fœcundiſſima fidelium Mater, devoravit, & cum ipſo quiſque Doctor eccleſiæ devorare habet, ignoras, evolve II. ad *Corinth.* cap. XI. &

lon-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-294 4° 1522

longum eorum catalogum ad v. 23.usque ad finem contextusreperies. Uterum gerens ſollicitè ſibi proſpicit, ne victu, amictu, motu, fœtui concepto noceat. Vix pedem profert, quin accuratè ſibi caveat. Et quâ non, bone DEUS! cautione miniſtris eccleſiæ opus eſt adhibenda, ut ἀπροσκόπων καὶ σωφρονούντων nomen tueantur, nec infirmis ſint ſcandalo! Ea ſane propter Paulus noſter *Judæis Judæum, eis, qui ſub lege non erant, tanquam non viveret ſub lege, infirmis infirmum ſe præbebat, omnia omnibus fiebat ut, plurimos Chriſto lucrifaceret* I. *Corr.* IX. v. 19. ſeqq. Quæ abortum patiuntur mulieres, contriſtantur, ſemperque deinde abortum metuunt. Ita & Doctores eccleſiæ ubi incaſſum ſe laborare, omnemque laborem gratis inſumere intelligunt, mœrore contabeſcunt. Affectus profectò pleniſſima verba ſunt, quibus Paulus Galatas ſuos cap. IV. v. 11. & 20. alloquitur; φοβοῦμαι ὑμᾶς, μήπως εἰκῆ κεκοπίακα εἰς ὑμᾶς. Ἤθελον δὲ παρεῖναι πρὸς ὑμᾶς ἄρτι καὶ ἀλλάξαι τὴν φωνήν μου: ὅτι ἀποροῦμαι ἐν ὑμῖν. *Metuo de vobis, ne fruſtra laboraverim in vos. Vellem autem adeſſe apud vos nunc & mutare vocem meam, quoniam conſilii inops ſum in vobis.* Denique, utut mater fœtui vitam largiatur, hic tamen perfrequenter mortis cauſa ipſi exiſtit. Et mirari profectò ſubit, quod fœminæ imprægnari ſeu quod idem eſt, mortis periculum ſubire adeò ſunt cupidæ. Simili ratione Doctores eccleſiæ ſæpenumero vitâ temporali ab eis ipſis exuuntur, quos vitâ ſpirituali donare conantur. Unde & gentiles, martyres non admirabantur modò, ſed & ſtupebant, prædicationem evangelii ardentes, etſi præter mortem præmaturam ſævamque nihil inde ad ipſos rediret. Et cur ipſum Cilicem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-294 4° 1522

noſtrum ore maximum non memoro? Pariebat eccleſiæ, pariebat cœlo, pariebat Chriſto innumeros liberos, mortem nil quicquam extimeſcens, donec denique in partu ultimo Romæ enecaretur.

§. XIV. In generatione phyſica fœtus formatur ex certa materia. Nobis videndum eſt, an? & quo ſenſu ea in myſtica generatione obtineat? ex qua filii DEI prodeunt. Fatendum eſt, non eſſe hîc ſubſtantiæ ex materia & forma compoſitæ productionem. Attamen analogia quædam hîc obſervanda. Materia generationis phyſicæ vitæ & formæ in eam introducendæ expers eſt. Nec minus vita DEI in anima hominis irregeniti deficit. Juxta veterum opinionem, corpus humanum ex maſſa ſanguinea formatur. Et quid filii DEI ſunt, antequam per regenerationem forma Chriſti in eos introducitur? *ſanguis de ſanguine, & caro de carne* Joh. III. 6. In materiâ corporis humani, juxta eorundem veterum phyſicorum opinionem, nec nuda inchoamenta formæ & partium conſpiciuntur: de quo tamen nos h. l. nihil definimus. De homine ante converſionem ſuam ſpectato, longe certiſſimum hoc eſt, quod nec inchoamenta formæ Chriſti membrorumque juſtitiæ in ipſo compareant. Si recentiores phyſicos audis, corpus humanum ex ovo generatur, omnes partes ruditer jam delineatas ſeu inchoatas exhibente, puta oculos viſui, aures auditui, nares olfactui, linguam guſtui, pedes ingreſſui aliasque aliis uſibus ſervientes. Prorſus diverſa eſt ratio materiæ regenerationis. Eſt enim ea τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας *corpus peccati*: de quo jam diximus, quod nec initia membrorum juſtitiæ in eo inſint. Omnis vis ſancta ſpirandi in eo deeſt: deſtituitur oculis, quia nequit videre ea, quæ ſunt Spiritus DEI; deſtituitur organo guſtus,

ſtus, alias enim guſtaret, quàm bonus ſit Dominus: caret pedibus, neſcit enim decurrere vias Domini. Imò non mutilum tantum eſt *membris juſtitiæ*, ſed & *membris injuſtitiæ* deforme Rom. III. 13. amore mundi turget, *guttur ſepulchro aperto haud abſimile, lingua doli pleniſſima, os exſecrationem & amarulentiam eructans, labia veneno aſpidis infecta, pedes deniq; veloces ſunt profundere ſanguinem.* Non eſt timor DEI coram oculis impiorum, ad viam ſalutis caligantibus, in tenebris autem tàm cernentibus acutum quàm

aut aquila aut ſerpens Epidaurius.

Privatio, quam in phyſicis ex parte materiæ ſpectamus, eſt abſentia formæ, conjuncta cum aptitudine eam recipiendi. Per ea autem, quæ hactenus attulimus, materia regenerationis non tantum formæ Chriſti expers eſt, ſed & diaboli imagine deformata. Sed mittamq allegoriam, ut ut hic loci innatam, ſubjectique regenerationis habitudinem clariùs eloquamur. Regenerandus igitur homo quoad intellectum eſt σκότος *Eph*. V. 8. Seu impotens eſt ſpiritualia objecta ſalutariter cognoſcere, pronusque temere de eis judicare. Quantum ad voluntatem, impotens eſt ea deſiderio & amore proſequi, & appetitum ſenſitivum in officio continere, legi DEI haud ſubjicitur, aliaque omnia ſectatur cupidiſſimè. Denique appetitꝰ ſenſitivus aliarum facultatum, meliora ſuadentium, conſilium imperiumque ſpernit, eisque quæ ſenſum demulcent, unicè inhiat, parum attendens, utrum legi divinæ congruant, nec ne. Tales ſortiebatur Apoſtolus Galatas, quando converſionem ipſorum primùm moliebatur. Neque multò meliores erant, ex quo regenerationis gratia exciderant, decepti à pſeudo-prophetis. Similes erant imagini, depictæ mentienti tantùm

vitam

vitam & ſubſtantiam hominis, & imperitioribus quandoque imponenti, verè autem omnis vitæ motusque cum anima expertæ. Etenim Galatæ quoque mentiebantur Chriſtianos: Chriſtiani tamen erant minime, quoniam fide, anima Chriſtiani, deſtituebantur.

§. XV. Sicut in Phyſicâ generatione, præter materiam ejusque privationem, forma quædam ſpectanda venit; ita in regeneratione quoque *forma* quædam datur, quam nunc videre aggredimur. Apoſtolus eam appellitat μοϱφὴν τȣ̃ χϱιςȣ̃, *formam Chriſti*, quando ait, ſe Galatas parturire, ἕως χϱιςὸς μοϱφωθῇ ἐν ἀυτοῖς, *donec Chriſtus formetur in ipſis*. Vocabula μοϱφῆς καὶ μοϱφώσεως *formæ & formationis* uſurpantur I.) pro externa ſpecie corporis præcipuè lineamentis, & aſpectu vultûs, ut *Marc.* XIV. ubi Chriſtus à reſurrectione ſecunda vice ἐν ἑτέϱᾳ μοϱφῇ, apparuiſſe dicitur. Hinc (II.) leguntur pro Idea mentali, quæ in intellectu eſt, quod lineamenta corporis ſunt in corpore. vid. *Rom.* II. 20, quo loco μώϱφωσις τῆς γνώσεως, idea, ſeu imago intellectionem juvans, memoratur. Rurſus (III) denotat ſtatum ſeu genus vitæ prout ita eſt legere ad *Phil.* II. 7. ubi μοϱφὴ θεȣ̃, μοϱφὴ δȣ́λȣ eſt ſtatus ſeu vita DEI, ſtatus ſ. vita ſervi. Denique (IV.) etiam pro ſimulatione & fuco accipitur: ut II. Tim. III. 5. quando multi dicuntur habere μοϱφὴν τῆς ευσεβείας *formam pietatis, vim autem abnegare*. Secunda & tertia ſignificatio maxime ad præſens attinet. Ad primam tantùm alluditur. Quarta prorſus huc non quadrat. Verbo, *forma Chriſti eſt imago Chriſti*, in anima noſtra depicta, lineamenta quaſi ipſius referens. Quâ ratione pulchrè ad h. l. noſtrum J. *Brentius* Expl. Ep. ad Gal. p. 130. b. *Nemo recipitur in*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-294 4° 1522

cœlum, niſi ſit factus membrum Chriſti per regenerationem, & niſi ſit depictus ac formatus figura ſeu controfactura Chriſti. Oportet enim nos imaginem Chriſti nobiscum afferre. Et Ægid. Hunnius P. IV. opp. p. 429. 430. ad verba: *donec formetur in vobis Chriſtus,* ſic παραφράζει: *donec ad veram & nativam imaginem & faciem Jeſu Chriſti ſervatoris veſtri informemini.* Quæſiveris autem fortasſis, quid ſit imago Chriſti in animabus hominum depicta? Reſpondemus uno verbo, eſſe fidem ipſam in Chriſtum, per quam Chriſtus, velut *ad vivum exprimitur in anima noſtra,* uti *Andr. Kunadus* loquitur in colleg. priv. publ. Diſput. X. Ac fidem h. l. intelligi communiter agnoſcunt Noſtrates. Unde huc referri oportet (I.) *notitiam,* & quidem explicitam, duarum naturarum unius perſonæ, ſtatûs utriusque, nec non officiorum Chriſti, item liberationis noſtræ à peccatis & reliquorum per ipſum partorum beneficiorum. Deinde (II.) ad Imaginē Chriſti in nobis, requiritur *aſſenſus* doctrinæ de Chriſto, non ob rationem luminis naturæ, auctoritatem humanam, aut aliam quamcunque rationem humanam, ſed propter revelationem divinam unicè præbitus, isque non generalis tantùm, ſed & ſpecialis, quo quis propoſitiones de Chriſto credendas ſibi in individuo applicat. Porrò (III) pars imaginis Chriſti eſt *fiducia* voluntatis, quâ quis in Chriſto recumbit, firmiterque confidit, fore, ut per ipſum remiſſionem peccatorum conſequatur, à maledictione legis liberetur, omnigenaque benedictione & tandem ſalute æternâ donetur; Denique, (IV.) illuc etiam neceſſarium conſequens fidei ſpectat χριστομίμησις ſ. *imitatio vitæ Chriſti,* Epheſiis à Paulo cap. V. validè adeò commendata, cujus natura diffu-

ſior eſt, quàm ut à nobis jam nunc tota ſpectari queat. vid. interim libellus *Thomæ à Kempis* de imitatione Chriſti cum judicio quidem legendus. Hæc, inquam eſt, μορφὴ τοῦ χριστοῦ forma Chriſti, quam Paulus introducere in Galatas hîc allaborat. Patet hoc ex iis, quæ ſuprà in hunc finem de occaſione & ſcopo totius epiſtolæ ad Galatas diſſeruimus. Etenim Paulus eam formam Chriſti hîc intelligit, qua exciderant Galatæ. Quâ autem exciderant quæſo? Equidem notitiâ credendorum etiam explicita non deſtituebantur; docuerat enim ipſos Apoſtolus cum Barnaba fratre omnem viam ſalutis. Aſt aſſenſus primùm deerat generalis. Non enim aſſentiebantur doctrinæ de beneficio liberationis à jugo legis ceremonialis. Hinc ſpecialis etiam aſſenſus non poterat non deſiderari. Si quæ adhuc admittebant capita de Chriſto, magis tamen ea admittebantur ob auctoritatem humanam, Petri verbi gratia & Apoſtolorum, qui Chriſti converſatione in his terris uſi erant; quàm ob ἀπόδειξιν πνεύματος καὶ δυνάμεως. Pariter fiducia in Chriſto repoſita multis modis erat manca. Tandem vita ipſorum longiſſimè aberat à χριστομιμήσει, dies obſervabant & menſes, & tempora, & annos cap. IV. v. 20. Elegans autem profectò & emphaſeos pleniſſima eſt, quam Paulus inſtituit, comparatio, imaginis Chriſti hactenus explicatæ, cum lineamentis & forma corporis humani. Sicut lineamenta corporis humani unà cum corpore humano oriuntur, eisque homo haud prior eſt, nec poſterior tempore, ita etiam imago Chriſti ſimul cum Chriſtiano oritur, eaque Chriſtianus haud prior exiſtit. Expreſſioribus ductis lineamentis corporis humani, creſcit corpus humanum. Pa-

riter

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-294 4° 1522

riter ubi imago Chriſti expreſſiorem formam ſortitur, incrementa capit Chriſtianus. Quando ingraveſcente ætate lineamenta diſparent, carnes etiam ſimul diſparent. Non aliter diſparente imagine Chriſti in Chriſtiano, diſparet ipſe quoque Chriſtianiſmus. Lineamentorum adeò eſt admirabilis genitura in utero, ut ſummi etiam Phyſici cauſas ſatis docere haud ſuſtineant. Et quis explicabit genituram imaginis Chriſti in anima noſtra? Hinc eruditiſſimum etiam Nicodemum audivimus exclamare: πῶς δύναται ἄνθρωπος γεννηθῆναι γέρων ὤν. Ecquis regenerationem infantum ſatis adhuc explicuït? quis modum, quo baptiſmus in animam hominis agit, interpretari auſus eſt? quis non verbi ἐνέργειαν ſentit magis, quàm capit? Lineamenta corporis humani adeò differunt variè, ut vix aut ſaltem ægrè duos reperias, qui per omnia faciem eandẽ referant. Chriſtianorum vultus, ſi mores ſpectes, fideique gradus, varius quidem & ipſe eſt; ſed ſi fidem ipſam intuearis, hæc omnium una eſt. Omnes unum ſunt in Chriſto Jeſu. Diverſitatis lineamentorum in corpore humano cauſæ exiſtit diverſitas parentis, ſeminis, generationis. Chriſtianorum omnium fides eſt eadem: prout unus illorum omnium parens ſpiritualis, à quo naſcuntur, unum ſemen ſpirituale, ex quo naſcuntur, una generatio ſpiritualis, per quam naſcuntur, *unus Dominus, unus Deus & Pater omnium, unum verbum, unus baptiſmus*, *Eph. IV.* 5. Lineamenta liberorum equidem quandoque, haud tamen perpetuò, lineamente Parentis referunt. At forma Chriſtianorum ſemper eſt forma Chriſti: quanquam, ut liberi imperfectiùs exhibent formam Parentis, ita ipſi quoque per omnem vitam εἰς ἄνδρας τελείους, εἰς μέτρον ἡλικίας τοῦ πληρώματος τοῦ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-294 4° 1522

χριστοῦ in vivos perfectos, in menſuram ætatis plenè adultæ Jeſu Chriſti haud perveniant. Prout vultu ſecernuntur homines à beſtiis: ita Chriſtiani ab Atheis, Scepticis, Epicureis, hæreticis per formam Chriſti, quæ in ipſis eſt, diſtinguuntur.

§. XVI. Quomodo autem ea in hominem Chriſtianum introducatur, nobis porro diſpiciendum eſt. Scilicet (I.) gratia DEI *præveniens* cor hominis peccatoris concutit quaſi, primamque ſanctam cogitationem & primum ſanctum deſiderium in ipſo operatur. Id quod modo non uno contingit: partim ſi attendamus ad differentiam regenerationis infidelium, quam primam; & regenerationis lapſorum aut relapſorum, quam ſecundam appellant: partim ſi peculiares modos proceſſus divini obſervemus, quorum in regeneratione hominum exempla occurrunt. Illis quidem, qui luminis naturæ uſu ad vitam honeſtiorem erecti, à peccatis autem contra conſcientiam alieniores facti, attamen fide in Chriſtum deſtituti, proinde extra ſtatum gratiæ relicti ſunt; gratia prima, & motum ſpiritualem proprium omnem præveniens, contingere poteſt & ſolet, per ipſam ſpiritualium bonorum revelationem in verbo DEI, unde ſancta cogitatio de talibus & pium deſiderium eorum oritur. Quando autem homines, ſive ignari doctrinæ ſalutaris & nunquam hactenus regeniti, ſive in mortem è vita ſpirituali relapſi, & peccatis enormibus indulgentes, regenerandi ſunt; quanquam etiam interdum, cùm infideles melius morati, peccato tamen oppreſſi, ad fidem ſunt perducendi, plures occurrunt gratiæ prævenientis modi. Interdum enim DEUS per grande beneficium mentes peccati ſomno ſopitas expergefacit. Exemplo eſt Saul Rex iniquiſſimus. Quando

enim

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-294 4° 1522

enim providentia divina ipſum in ſpelunca deſerti Engedi mirificè ſervarat, Davidisque manum à cæde cohibuerat, ſubitò ſanctior quædam cogitatio animum ipſius ſubibat, ut nec à lacrymis ſibi temperaret, Davidemque de injuria conquerentem ita alloqueretur: *nonne vocem tuam, mi fili, audio, me magis juſtus es. Bonum pro malo retribuiſti mihi: mihi inquam, qui tibi malum pro bono rependi. DEUS bonitatem, quâ hodie in me fuiſti planè inſigni, largiter compenſet, I. Sam.* XXIV. Similiter Petrus, ſimul atque Chriſto lumina in ipſum torquente, gratiæ magiſtri ſui recordabatur, ſancta cogitatio animo ipſius incedebat, lacrymasque amariſſimas ipſi exprimebat. Cæterùm rariſſimè hoc fit, quòd benignitas DEI ad veternum peccati & ſecuritatis actu excutiendum pertingit. Certe profectò exempla eorum, quos beneficia DEI ſaniorem mentem induere fecerint, in Scripturis vix

ſunt numero totidem, quot
Thebarum portæ vel divitis oſtia Nili.

Longe plurimis ira pœnæque divinæ ſaniores cogitationes inſpirarunt. Adeò perverſa eſt mens humana, ut terroribus ab exitio ſuo retrahi, & curſum ſufflaminari malit, quàm blandiore Numinis optimi tractu: prout dormientes atque altum ſtertentes non tam leni ſermone quàm aſperiore ſono aut concuſſione excitantur. Ita fratres Joſephi adverſam fortunam experti, promptiſſimè reminiſcebantur ſceleris admiſſi, *hoc agentes in fratre noſtro commeruimus mali, quoniam anguſtiam cordis ipſius contuebamur, nulla miſericordia tacti. Gen.* XLII. 21. Nec infrequenter Numinis ſapientia exempla in hominibus juxta nos viventibus ſtatuit, ea fini, ut

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-294 4° 1522

alieno periculo ſapiamus, vel ſapere ſaltem occipiamus. Cur enim DEUS mundum diluvio perdidit? Nempe ut Noachidæ à diluvio ſanctiorem vitam viverent? cur Pharao in mari rubro aquis cooperiebatur? ut Iſraelitarum alia, quam Pharaonis mens eſſet? cur DEUS Abſolonem unà cum conſiliario ſibi ipſi peſſime conſulenti miſerrimè vita exuit; ut reliqui perduelles ad obſequium eo promptius redirent. Interdum, rariùs tamen, ſomniis Numen utitur, ut improbos meliorum commonefaciat. Tale erat ſomnium, quod Nebucadnezar ſomniabat, Dan. XIV. capite pluribus relatum; item illud, quod uxor Pilati patiebatur, hic autem inepte ſpernebat. Quanquam enim noverimus, *ſomniis attendentem captanti ventum aſſimilari*: ubi tamen inſpecta vita, inſpecti mores noſtri, ſomnia nil quicquam mentiri docent: in his etiam θεῖόν τι ineſt aliquando recteque quæritur. Et quis ſingulos modos, queîs gratia DEI præveniens utitur, percenſeat? Eodem etiam ſpectant phœnomena varia, vel naturam transcendentia, vel rariora ſaltem. Ita cuſtodi carceris, in quo Paulus & Silas detinebantur, terræ motus primam de veritate Chriſtianæ religionis ſanctam cogitationem ingenerabat, de quo Actor. XVI. v. 25. Exclamare hic nos oportet: *ὢ βάθος πλούτου καὶ σοφίας θεοῦ, ὡς ἀνεξερεύνητα τὰ κρίματα θεοῦ καὶ ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ, O! profunditatem divitiarum & ſapientiæ DEI: quam inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & impervestigabiles viæ ejus* Rom. XI. 33. Hunc amicum colloquium, iſtum morbus, illum mors, alios alia docent meliora. Ut plurimum tamen DEUS primam ſanctam cogitationem inſpirat per verbum ſ. lectum ſ. auditum: Sic ex quo

Da-

David adulterio cum Bathſeba commiſſio & cæde Uriæ ſe pollutum dederat, non prius reſipiſcebat, quam Nathan ita ad ipſum loqueretur: *Tu es vir moris.* Idem in Franciſco Junio, & Judæo Gerſone obſervare eſt, quorum hic ex Novo Teſtamento Judaiſmum, iſte ex Evangelio Johannis Atheiſmum odiſſe primum cœpit.

§. XVII. Concuſſo in hunc modum per gratiam DEI prævenientem peccatoris animo (II.) gratia *operans* ſuccedit, quæ primam ſanctam cogitationem primumque ſanctum deſiderium per gratiam prævenientem excitatum, quaſi fovet, perque legem Evangelii jubare colluſtratam, agnitionem peccatorum pleniorem progignit, dum homo ipſam vitam, omnesque, quas modocunque meminit actiones ſuas, maximas, minimas, ad illam normam exigit. Quod autem notandum probe eſt; per actiones non tantum actiones commiſſionis ſed & omiſſionis indigitamus, quin non has tantùm ſed & habitus & diſpoſitiones, imò & carentiam habituum ac diſpoſitionum. Omnia hæc, inquam, animo volvi eſt opus, ut ad debitam peccatorum agnitionem perveniatur. Curriculum vitæ hominum à morte ipſorum alias conſcribi ſuevit. Hoc autem laudibus tantùm, interdum ad mendacium usque, eos extollit. Majoris utilitatis curriculum vitæ eſt, quod quisque diu ante finem vitæ ſuæ conſignat, ea fini, ut non laudes ſuas noſcat, ſed peccata intelligat. Obtentâ theoreticâ hâc agnitione, practica ſubſequitur, quâ peccata non tantùm pro peccatis, ſed & pro abolendis peccatis habentur; Ita ut exclamemus cum Paulo ταλαίπωρος ἐγὼ ἄνθρωπος, τίς με ῥύσει ἀπὸ τȣ̃ σώματος τȣ̃ θανάτȣ τȣ́τȣ; *miſer ego homo, quis me liberabit à corpore mortis hujus?*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-294 4° 1522

§. XVIII. Ejusdem operantis gratiæ opus eſt diſplicentia peccatorum ſeria, adhuc tamen languidior. Seria, inquam, hoc eſt, talis, qua de prævaricatione admiſſa dolemus, non tam ea propter, quòd damnum ex ea patimur, quam quòd per ipſam ingratitudinis macula nobis inuritur. Talem diſplicentiam in Davide, ab adulterio & homicidio, auditaque Nathanis pœnitentiali concione, notamus. *Peccavi* inquiebat *in DEUM.* Non ait; in ſalutem, in commoda mea peccavi, ſed peccavi in DEUM. II. Sam. XII. 13. Quo autem ſciatur, utrum diſplicentia noſtra ſit talis, ſeu verè Davidica; probe perpendi oportet, utrum etiam peccatum nobis diſpliciturum eſſet, ſi nihil inde ad nos redundaret mali, v. g. etſi adverſam fortunam & pœnas in hac vita nunquam experturi; etſi nec damnationem æternam contracturi eſſemus. Ita Zadokus, unde Saducæorum nomen ortum, ſuam contritionem examinabat, ſanè perquam utiliter & piè: utut hoc inſtitutum ipſius diſcipuli mox in perverſam partem raperent: de quo Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Scriptores pluribus videri poſſunt

§. XIX Eodem pertinet languidior fides, unà cum amore ſpiritualium bonorum imperfectiore, operationi Evangelii præſtita. Ita tollitur ignorantia quidem credendorum ſimplex per ſimplicem eorum apprehenſionem, impotentia rectè judicandi de ſpiritualibus, & promptitudo ad temeraria judicia per habitum piæ affectionis in voluntate; abſentia fiduciæ itemque diffidentia in ſpiritualibus per fiduciam; abſentia amoris, & averſatio ſpiritualium bonorum per amorem ipſorum ſincerum, abſentia ſpei & deſperatio per ſpem oppoſitam. Rurſus pronitas intellectus

ad

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-294 4° 1522

ad temeraria judicia per habitum piæ affectionis in voluntate, & promtitudo ſequendi malum per inclinationem contrariam in bonum, expellitur.

§. XX. Ulterius, ut imperfectior agnitio peccatorum in pleniorem, languidior diſplicentia ipſorum in majorem, & infirmior fides in firmiorem convertatur, gratia cooperans ſuccedit. Quorſum profundiore Scripturæ meditatione unà cum crebriore & haut interrupta ſerie continuatò actionum ſpiritualium exercitio opus eſt, poſtquam homo in priore periodo hujus operis ſancti à Deo viribus quibusdam activis donari cœpit, quas porrò exerere, & in actus homogeneos plures deducere poteſt ac debet. Secus Sisyphi ſaxum volvit, &, ſi his omiſſis, in peccata contra conſcientiam ſponte labatur, priora omnia in fumum abeunt, καὶ τὰ ἔχατα χείρωνα γίγνονται τῶν πρώτων. Neque etiam anima hominis, in qua Chriſtus formari cœpit, ipſa verò hanc in ſeſe obliteravit aut extinxit, ſimilis eſt ſpongiæ ex aquis recens extractæ, aut candelæ modò extinctæ. Iſtam ſi aquæ commiſeris, humorem ſtatim ſugit: hæc ignem facile rurſus concipit. Non æquè anima, quæ μορφὴν χριςῦ amiſit, hanc facilè recuperat. Itaque homo nuper admodùm converſus cavere ſummopere habet, ne quicquam ἑκυσίως peccet: ſimulatque enim id fit, priſtina impotentia rectè judicandi & recta appetendi redit. Quare hoc ſimul pateſcit, quòd homo periculo peccandi hoc tempore nulli, etſi leviſſimo viſo, ſe committere; quin potiùs occaſionem pias actiones moliendi non tantùm prenſare, ſed & anxiè quæritare debeat.

§. XXI. Singula, quæ hactenùs ad formationem vitæ Chriſti in nobis diſſeruimus, longè clariſſimè in ipſo Paulo videre eſt. Cùm adhuc eſſet ἐμπνέων ἀπειλῆς καὶ φόνυ εἰς τὺς μαθητὰς τῦ Κυρίυ, privatus erat vitâ Chriſti per omnia. Nulla in ipſo agnitio peccati, nec theoretica, nec practica, locum habebat; quin craſſo etiam hoc errore laborabat, ut rem DEO gratiſſimam præſtare ſe crederet, diſcipulos Domini vincientem, tormentis ſubjicientem, enecantem. In voluntate

adeò deſiderabatur diſplicentia prævaricationis, ut gloriam quoque inde aucuparetur: adeò amor eorum, quæ DEO grata ſunt, deficiebat, ut de injuſtitia lætaretur impensè. Quid de fide in Chriſtum dicam? Ejus ſanè ne mica quidem aderat; quandoquidem Chriſtum perſequebatur, dirisque devovebat omnes, qui invocabant nomen ipſius. Aſt audi, ecqua ratione in ipſo Chriſtus ſeu vita Chriſti formata ſit? Primùm gratia DEI præveniens indomiti hujus perſecutoris cordi ſanctam quandam cogitationem & pium deſiderium inſpirabat, quando vox cœlitùs delapſa humi proſtratum ita alloquebatur: *Saul, Saul, quid me perſequeris?* Quas enim credis cogitationes animum ejus, verba hæc inaudientis, ſubiiſſe? Veroſimile eſt utique, ipſum has ſimilesve voluiſſe: ergòne recta non eſt, quam calco, via? itane aberravi hactenus à janua? Prodit eas reſponſio; qua ita ad Chriſtum, τίς εἶ κύριε· *quis es Domine?* De pio autem deſiderio teſtatur altera, quam non multò poſt tremens & gemens affert, quæſtio hæcce, τί με θέλεις ποιῆσαι, *Domine, quid vis ut faciam?* Commotâ ita animâ, ante in peccatis mortua, Apoſtoli, ſubſequebatur gratia DEI operans, imperfectiorem cognitionem credendorum amoremque ſpiritualium inſpirans, miſſo ad ipſum Anania, ea fini, ἵνα ἀναβλέψῃ, *ut viſum reciperet*, non corporaliter modò; ſed, & multò quidem potiùs, ſpiritualiter, cùm informatus baptizaretur, καὶ πλησθῇ πνεύματος ἁγίου: juxta *Act* c. IX. v. 6. Denique cooperante quoque gratia exornabatur, ſeu, majoribus ſpiritualibus viribus noſcendi & amandi τὰ τοῦ πνεύματος. Enimverò abs eis fuiſſet non ſtatim cathedram conſcendiſſet, & Chriſtum filium DEI viventis prædicaſſet, quod tamen de eo cit. cap. v. 20. legitur.

§. XXI Ita formabatur vita Chriſti in Paulo: nec diſpari prorſus ratione licet nec eodem ſemper proceſſu, in hominibus aliis formatur, in quibus modò cunque formatur. Quando fœtus in utero formari vitaque in ipſum introduci debet, ante omnia ovum ante immobile commoveri & decerpi oportet. Non abſimili ratione formatio vitæ Chriſti contingit. Vidimus enim per prævenientem DEI gratiam commoveri velut immobilem ſua natura ad ſpirituales actus ani-

mam

mam peccatoris debere. Commotum in generatione naturali ovum, uterum petit, ibidemque per communicatam quandam vim activam agitatur & fovetur. Et quid gratia DEI operans aliud eſt, quàm virtus activa, ſpiritualiter agitans mentem, in eaque fovens motus per gratiam prævenientem animo impreſſos, ita mentem ipſam quaſi magis magisque calefaciens. In utero ovum totum fit aliud, ex immobili motum, ex non vivente vivens; ſic & per gratiam operantem ex anima motus omnis ſpiritualis & boni experte datur anima moliens, per acceptas vires ſpirituales, utut ægriùs quodammodo, ſanctas actiones: ex anima mortua in peccato fit anima vivens DEO. Fœtus ſucceſſivè formatur in utero, non in momento temporis. Parili ratione Chriſti vita non ſimul & ſemel, ſed paulatim in nobis formatur. Illic alia pars prior, alia poſterior elaboratur. Eadem eſt ratio myſticæ generationis Chriſti in nobis. Primùm agnitio peccatorum in animo noſtro oritur: hanc excipit diſplicentia ipſorum, diſplicentiam deſiderium expungendi ipſa, hoc deſiderium fides, primùm languidior, hinc fortior, fidem charitas, ſtudiumque bonorum operum comitatur. Geſtatur infans mirabiliter inter ſexcenta pericula, dum utero egrediatur Et quæ non pericula ſuperare habet Chriſtianus, antequam utero Eccleſiæ militantis egredi, cœlitibusque miſceri ipſi contingit. Infans deſiderat utero matris egredi. Sic & Chriſtianus Eccleſiâ militante egredi & triumphantis membrum fieri peroptat. Infans, elapſis pluribus menſibus, naſcitur perfectè ſeu excluditur; ſic elapſo vitæ præſentis ſeculique curriculô, Chriſtiani ex tumulis conſurgunt, & quoad corpus & animam perfecte naſcuntur: verba ſunt B. *Joannis Meiſneri*, in Orat. de Chriſtiano. Infans excluſus demùm lucem aſpicit. Chriſtianus excluditur, cùm moritur, & tùm demùm lucem, quam DEUS inhabitat, ἀπρόσιτον contuetur. Omnes phyſici in eo conſentiunt, quòd mira voluptate infantem perfundi oporteat, cùm ex tenebris uteri materni ad lucem DEI & auram blandientem pertingit. Sic & Chriſtianus mirificam oblectationem ex eo olim capiet, quòd à cruce ad lucem, à carcere hujus vitæ ad libertatem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-294 4° 1522

vitæ alterius, aëremque paradiſiacum transferetur. Nemo hactenùs ſtupendam formationem fœtus in utero materno ſatis explicuit. Nec minùs fruſtrà fuerit, qui omnem rationem formationis vitæ Chriſti in nobis, nativitatisque noſtræ ſpiritualis definire aggreſſus fuerit. Unde & veniam, credo, facile conſequar, quòd de gravi adeo materia parùm graviter, & de diffuſiſſimo capite pauca admodum diſſerui. Nam & oppoſitas ſententias erroneas ſub cenſuram vocare par erat: nec tamen pro ratione temporis, operâ feſtinante, præſtari poteſt: ut potiùs omiſſionem excuſare hanc oporteat. Interim pro ſuâ bonitate DEO ſit Laus, Honor & Gloria in ſecula ſeculorum. Amen!

Quales vere novo flores in gramine fragrant,
Et noſtrum afficiunt corpus odore ſuo:
Talem Te, SALLERE, Tuis plaudentibus, effers
Atque pii veris das documenta Tui.
Macte animi virtute iſthac! Tua patria geſtit,
Ingeniumque Tuum fertile rite probat.
Tantos ſi flores ætatis vere tuliſti,
Quæ nobis æſtas germina læta dabit?

Pauca hæc Viro Clariſſimo, Dn. Auctori Reſp. Amico ſuo æſtimatiſſimo apponere voluit, debuit

Chriſtianus Vuvegius
SS. Theol. Licent.

LÆtus Caſtalidum linquis penetrale Jenenſe,
Viſis quippe lares, ampla ferens ſpolia.
Id quod teſtatur doctrina nobile ſcriptum
Quod ſi quis verſat, verba profunda legit.
Felix es, Sophiæ qui munera tanta reportas,
Qui clarus clarûm multiplicas numerum.
Sedulus inſtabis doctos excludere fœtus,
Dum tua contrectet gloria ſtelligerum.

His perexiguis probandos auſus Nobiliſſimi Dn. Autoris, Amici & Conterranei ſui ſuaviſſimi, probant, ſeque ſimul ejus perenni favori commendant

COMMENSALES.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-294 4° 1522

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-294 4° 1522